





24 DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

VERA RAPINAE INDOLE

EIVSQUE

EX PRINCIPIIS IVRIS SAXONICI  
ELECTORAL. COERCITIONE

PRAESIDE

MARTINO GOTTLIEB  
PAVLID

DIGEST. VET. P. P. O. CVR. PROVINC. CONSISTOR  
ECCLESIAST. SCABIN. ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE  
EIVSDEMQVE H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQUENDIS

DIE XVI. MENS. OCTOBR. A. O. R. CICICCLXXVII

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB AVCTORE

IOANNE CHRISTIANO FRIDERICO REINHARDO  
IVR. CAND. ET ADVOC. IMMATR.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRITI ACAD. A TYPIS







Q. D. B. V.

DE VERA RAPINAE INDOLE  
E I V S Q V E  
EX PRINCIPIIS IVRIS SAXON.  
ELECTORAL. COERCITIONE.

---

§. I.

**E**re erit, statim in limine huius libelli, qui est de Rapina, quid sit id, de quo quaerimus, et quam late pateat, paucis praemittere. Est autem Rapina violenta rei alienae mobilis dolo malo, animoque lucri faciendi facta ablato. Rei, inquam, ablatio. Homines enim atque personae quando rapiuntur, haec ablatio raptus dicitur, non rapina, hinc raptus Helenae, raptus Proserpinæ et s. p. item raptio, v. g. apud Terentium <sup>a)</sup>) quin, ra-

A ptum

<sup>a)</sup> Adelph. AG. III. Sc. III. v. 2.



ptum et raptionem non tantum ab rapina, sed ab se inuicem  
 quoque distinguit Donatus, *raptio*, inquiens,<sup>b)</sup> ad personam  
 refertur, *rapina ad rem*, *raptus ad stuprum*, si proprio volumus lo-  
 qui. Res praeterea, quae rapitur, aliena esse debet et mobi-  
 lis. Si quis igitur rem suam, aut quam suam esse, existimat,  
 rapuerit, dum putat, licere domino rem suam possessori vi au-  
 ferre, quoniam non lucri faciendi, sed recuperandi ani-  
 mum habet, rapinam non committit.<sup>c)</sup> Ceterum tamen qui,  
 quod sibi deberi putat, non per iudicem reposcit, sed suapte  
 auctoritate recuperat, vim alteri infert iniustam atque igitur  
 peccat, quod iura nostra fieri vetant, prout videbimus in-  
 fra. Immobiles autem res auferri et amoueri non possunt,  
 ergo nec rapi; quando igitur quis aliquem de possessione rei  
 immobilis, fundi v. g. vi deicit iniusta, inuasio dicitur, non  
 rapina, neque eiusmodi inuasor, tanquam raptor, punitur, sed  
 aduersus eum ex principiis Iuris Romani, locus est Interdi-  
 ctio unde vi, vel etiam Iudicio publico ex lege Iulia de vi pu-  
 blica et priuata. Rapina praeterea violenta dicitur ablatio, do-  
 lo malo facta, coque ipso discernitur a furto, quod etiam ab-  
 latio est et contrectatio rei alienae mobilis, sed clandestina et  
 fraudulosa<sup>d)</sup>, non violenta. Quamuis enim fraudis et *doli*  
*mali* mentio, teste Vlpiano,<sup>e)</sup> et vim in se habeat, nam, qui vim  
 facit, *dolo malo* facit, non tamen qui *dolo malo* facit, utique et vi fa-  
 cit; ita dolus habet in se et vim, et sine vi, si quid collide admisum est,  
 aequae

<sup>b)</sup> ad Terent. I. c.      <sup>c)</sup> I. 18. §. 2. D. de Vi bon. raptor.

<sup>d)</sup> §. 1. J. I. 1. §. 3. D. de Furt.      <sup>e)</sup> I. 2. §. 8. D. de Vi Bon. raptor.

*aequo* continebitur. Furtum proinde occulte fit et clam, rapina vero vi aperta et propalam, utrumque tamen dolo malo. Hinc Thesprio apud Plautum

*Minus iam, inquit, f) furtificus sum, quam antehac, rapio  
velut propalam.*

His tandem omnibus addo, raptore non esse, aut etiam fur-  
res, nisi qui res alienas animo lucri faciendi, sive clam surri-  
piant, sive vi auferant aperta et propalam. Etenim in distin-  
ctione delictorum non tam factum consideratur, quam faci-  
endi causa, id est, propositum et intentio delinquentis. Quare  
si quis rem alienam sciens contrectet et dolo malo, non au-  
tem eo animo, ut lucrum inde faciat, id factum in aliud ge-  
nus delicti cadit, et si v. g. contumeliae causa factum est, in-  
iuria est, si nocendi tantum gratia, damnum iniuria datum,  
quod iure Romano vindicabatur lege Aquilia. Haud equi-  
dem ignoro, Praetorem olim actionem vi bonorum raptorum  
non iis tantum, quorum bona, lucri faciendi gratia, vi ere-  
pta sunt, sed illis quoque dedisse, quibus dolo malo homini-  
bus coactis damni quid factum est.<sup>g)</sup> Damnum autem in-  
iuria datum absque animo lucri faciendi datur. Exinde vero  
colligi neutiquam potest, rapinam sine animo lucri faciendi  
posse perpetrari. Quis enim est, qui nesciat, actiones in iure  
nostro frequentissime latius patere, quam nomen earum prae-  
se ferre videtur,<sup>h)</sup> sic enim actio arborum furtim caesarum

A 2

datur,

f) Epidic. Act. I. Scen. I. 10. g) l. 2. pr. D. vi bonor. raptor.

h) Conf. Anton. Matthaei de Criminib. Tit. de Vi bonor. raptor. Cap. I. 5.



datur, et si non ceciderit, sed cinxerit quis, vel deglabrauerit arbores, ut taceam exempla alia.

### §. II.

His itaque limitibus olim rapinam circumscrivebant veteres Romani. In hunc autem, quem circumscriptimus, orbem incidisse quoque, saltem quodam modo furtum, haud difficulter potest intelligi, vtrumque enim delictum non nisi in eo ab se inuicem differt, ut furtum clandestina sit, rapina vero violenta, vtrumque fraudulosa ablato. Hinc raptor in iure nostro quam frequentissime fur improbus,<sup>a)</sup> dicitur, et Papinianus eum, *omnimodo ait<sup>b)</sup>*, *furtum facere*, hinc iure ciuili eum, qui res alienas vi rapit, furti actione teneri, constat, et quidem furti nec manifesti, si in ipso furto deprehensus non fuerit, manifesti vero, si fuerit deprehensus<sup>c)</sup>, atque olim, quando ex rapina ciuiliter agebatur, nullae aliae suppetebant actiones, quam furti; actionem enim vi bonorum raptorum quod attinet, ea successu demum temporis a Praetore est introducta. His omnibus addo, rapinam aequa ac furtum veteres Romanos delictis annumerasse priuatis, id est, iis, quae, quia directe ad priuatorum laesionem tendunt, priuatam producunt persecutio-  
nem, actiones scilicet vel poenae persecutorias, ut sunt actiones furti, vel rei persecutorias, ut est condicio  
furtiuia, vel denique mixtas, ut est actio vi bonorum  
rapto-

<sup>a)</sup> Pr. J. I. 2. §. 10. D. de Vi bonor. raptor. I. 14. §. 12. D. Quod metus cauf.

<sup>b)</sup> I. 80. §. 3. D. de Furt.

<sup>c)</sup> I. 1. D. de Vi bonor. raptor. I. 52. §. vlt. I. 80. §. 3. D. de Furt.

raptorum, quibus tamen omnibus actor sibi vnicē consulebat, poenam scilicet pecuniariam in iudicio ciuili, vel quod praeterea sua intererat, petens sibi dari. Ceterum, quoniam per furta et rapinas societas ciuilis non minus, quam per homicidia, aliaque delicta grauiora violatur, apud ipsos iamiam Romanos vigore publicae disciplinae inualuit consuetudo, ipsos adeo fures atque raptore criminaliter persequendi. Quod cum in iudiciis publicis et criminalibus fieret, furtum quoque et rapina hoc respectu non incongrue delictis publicis annumerabatur, sed extraordinariis, neutiquam vero ordinariis. Scilicet ordinaria delicta publica, quae et publica simpliciter dicebantur, Romanis olim ea erant, de quibus lex certa erat scripta, et definita ea lege poena; <sup>m)</sup> extraordinaria vero erant delicta, quibus aut nullae plane leges erant scriptae nullaque definita poena, aut si leges essent et poena iis definita certa, crimen tamen, de quo quaestio erat, atrocius existimaretur, quam ut secundum istas leges, iudicaretur puniendum esse.<sup>n)</sup> In publicis praeterea iudiciis quicunque ciuiis qui publici criminis aliquem volebat accusare, nisi quis speciatim prohiberetur, accusandi ius habebat et potestatem <sup>o)</sup> in extraordinariis autem iudiciis non poterat quilibet ciuium accusare, sed ille tantum, qui erat laesus.<sup>p)</sup> Tandem, vt alia taceam, in iudiciis publicis, quibus quis criminis publici postulabatur, sortiebantur senescente republica libera et sub primis imperatoribus inter se praetores,

A 3

quam

<sup>m)</sup> I. 1. 1. 8. D. de Publ. Iudic.<sup>n)</sup> I. 13. D. de Poenis.<sup>o)</sup> §. I. I. de Publ. Iudic. I. 10. D. de Accusat.<sup>p)</sup> I. 92. D. de Fort.



quam quisque deberet exercere quaestionem, de ambitu v. g. de adulteris et s. p. in extraordinariis autem aut consules cognoscebant, aut totus Senatus, aut Princeps aut Praefectus urbi, aut Praefectus Praetorio et s. p. Poena vero, quae raptoribus in his iudiciis extraordinariis irrogabatur, quoniam iure Romano certa quaedam non erat definita, extra ordinem arbitrio iudicantium statuebatur, pro qualitate rei et personae vel leuior, vel grauior, adeo, ut non tantum priuatio dignitatis, relegatio, damnatio in opus publicum, sed etiam, primis si atrocior accederet circumstantia, damnatio ad bestias, aliaeque capitales irrogarentur.

### §. III.

Quae hucusque exposuimus, ea non nisi primas doctrinae iuris Romani de rapinis exhibent lineas. His autem Iuris Civilis de rapina praeceptis diutius hoc loco inhaerere, omnemque eorum ambitum de industria exponere eo minus necessarium esse videtur, quo magis constat, pleraque omnia, quae de coercendis rapinis in Iure Romano sancta sunt, patris moribus antiquioribus pariter ac recentioribus et hodieris vix paululum conuenire. Evidem nolo in tempora antiquiora excurrere, et qui, rapinam quod attinet, maioribus nostris olim domesticus fuerit et veluti nativus sensus, hoc loco enixe perquirere. Haec talia, qui scire cupit, ille adeat v. g. beat: Ioannem Gottlieb Heineccium, qui, quae hac ex parte scire interest, in compendio exhibuit.<sup>2)</sup> Praeterea beat: Augustinus

<sup>2)</sup> Elementorum Iuris Germanici Tom. II. Libr. II. Tit. XX. §. 65 seqq.

❧ ♚ ❧

gustinus a Leyser, vt alios taceam, has patrias antiquitates  
 pro more suo, id est, doctissime illustravit <sup>9)</sup>, quamuis,  
 vtrum vbique rem acu tetigerit? haream. Iura vero Germanica  
 recentiora et hodierna quod attinet, nemo fortassis, nisi qui  
 eorum prorsus est ignarus, est, qui nesciat, de rapina hodie  
 Germanos in vnum omnes longe alia sentire, ac quidem olim  
 veteres sentiebant Romani. Hos animi sensus omnium opti-  
 me exprimunt leges Germanorum patriae, quas in cognoscen-  
 dis hodie et coercendis rapinis sequimur: Earum legum Ger-  
 manicarum aliae sunt vniuersales, quae per vniuersam Germa-  
 niam vim exerunt auctoritatemque suam, quorsum potissimum  
 pertinet Constitutio Criminalis Carolina, aliae particulares;  
 vix enim vlla est in Germania nostra respublica particularis,  
 quae non, praeter istam legem communem, Nemesis scilicet  
 Carolinam, suas proprias habeat plures nonnunquam, vel  
 etiam pauciores leges criminales. Earum omnium inire nu-  
 merum et catalogum texere, alienum est ab hoc loco et vere  
 improbus labor. Saxoniam vero nostram Electoralem quod  
 attinet, quoniam huius meae patriae iura in primis mihi curae  
 cordique sunt, non possum, quin, quae nouissimis temporis  
 de coercendis rapinis scriptae sunt leges, hoc loco per  
 lancem veluti saturam enumerem. Quae nouissimis, inquam,  
 temporibus scriptae sunt leges. Sicco itaque pede praetereo  
 leges antiquiores, quarum aetas secula superiora adscendit, at-  
 que intra fines saeculi praesentis me cohibeo. In hanc autem  
 classem

<sup>9)</sup> Meditat. ad Pandect. Specim. D XXXIX.



classem prae ceteris referri merentur haec Mandata. Scilicet  
Wider die gewaltsamem Einbrüche auch Diebs- und Räuber-Rotten, den  
16. Septbr. 1710.<sup>s)</sup> Die Spitzbuben und Räuber-Rotten im Lande  
betreffend. d. 21. Decbr. 1711.<sup>t)</sup> Wegen geschwinder Execuirung  
wider die Diebe und Räuber. d. 27. Jul. 1719.<sup>u)</sup> Wider die Räuber  
und Mordbrenner. d. 29. Decbr. 1733.<sup>v)</sup> Wider die Diebes- und  
Räuber-Rotten, Mordbrenner auch andre feindliche Streiffereyen etc.  
d. 29. April 1734.<sup>w)</sup> Wegen des Diebs- und Räuber- auch andern  
töderlichen Gesindels. d. 14. Jul. 1738.<sup>x)</sup> Wegen Auffuchung und  
Entdeckung, auch Bestraffung des Diebs- und Räuber-Gesindels. d. 14.  
Dec. 1753.<sup>y)</sup> Reliqua sic dicta Generalia, quibus harum legum  
vna aut altera denuo inculcatur, vt taceam.

#### §. IV.

His autem praemissis, pergamus iam ad doctrinam Iuris  
Criminalis hodierni de Rapinis. Et primo quidem tacere non  
possum, definitionem rapinae in genere ita dictae, et, quod  
inter hoc delictum et furtum intercedit, differentiam quod at-  
tinget, Iura Romana atque patria nostra amice inter se conue-  
nire. Ex vtriusque enim Iuris principiis rapina rei alienae  
mobilis dicitur ablatio, dolo malo et animo lucri faciendi fa-  
cta, ex vtriusque Iuris principiis differentia, quae rapinam in-  
ter et furtum intercedit, in eo consistit, vt rapina violenta sit,  
furtum autem clandestina ablatio. Sed quam veteres Romani  
priuatum

s) Cod. Aug. Tom. I. pag. 1767. t) Ibid. p. 1781. u) Ibid. p. 1899.

x) Cod. Aug. Contin. Part. I. pag. 615. y) Ibid. pag. 617.

z) Ibid. pag. 649. a) Ibid. pag. 797.

❧ ♚ ❧

priuatūm esse delictūm existimabant rapinām, eam Germani et tantum non omnes cultioris Europae gentes vñanimi quasi consensu publicum esse contendunt et eiusmodi delictūm, quo non tam ille, cuius res per vim ablata est, quam potius ipsa societas ciuilis laeditur, atque salus et securitas publica funditus cuertitur. Cessant itaque et extra omnem hodie, certe in Saxonia Electorali, vsum sunt omnia ista Iuris Romani capita, quae naturam redolent delictorum priuatorum, actiones v. g. poenales priuatae, in quadruplum, in triplum et duplum. Criminalem autem raptorum persecutionem quod attinet, obtinebat ea quidem olim, sed non semper et necessario, imo potius extra ordinem tantum, poena quoque certa et definita in legibus Romanis praescripta erat nulla, sed ab arbitrio iudicis dependebat, et erat vel leuior, vel ob diueritatem circumstantiarum grauior. Hodie vero semper et necessario criminis aduersus raptore, tanquam violatores pacis et securitatis publicae sceleratissimos, persecutio obtinet. Atque in eo quidem inde ab antiquissimis temporibus Germanorum mores veterumque Romanorum inter se conueniunt, quod eiusmodi persecutioe criminales per processum accusatorium instituerentur, sed differunt tamen a se inuicem hac ex parte, quod apud veteres Romanos raptore non nisi, ab iis, quibus per rapinam dampnum erat datum, possent accusari, hodie vero iis in provinciis Germaniae, in quibus accusatorius processus adhuc in usu est, raro vel nunquam ii, qui laesi sunt, sed eorum loco publicus hunc in finem constitutus accusator criminis rapinac quem postulet. Sed hic processus accusatorius nulla quidem

B

lege



lege expressa in Germania abrogatus est, hodie plurimis tam  
en in prouinciis Germaniae et in primis quoque in Saxonia  
nostra Electorali per non vnum abiit in desuetudinem, e con-  
trario nostris temporibus et in his terris criminales persecutio-  
nes tantum non omnes per processum, quem dicimus, inqui-  
sitorium, ab magistratibus nostris ex officio instituendum,  
peraguntur. Tandem poena, qua hodie afficiuntur raptore, non,  
vti olim apud Romanos, ab arbitrio iudicis dependet, sed  
legibus definita est publicis, atque non semper quidem eadem,  
sed tamen regulariter semper capitalis est.

### §. V.

Ceterum rapina, de qua hucusque in genere diximus,  
non vnam semper eandemque retinet formam et ostendit, de-  
generat potius nonnunquam in aliud, aut aliis quoque cumu-  
latur delictis, etiam inter alia nonnulla delicta quaedam  
intercedit veluti affinitas et similitudo. Quare, quoniam pro  
diuersitate circumstantiarum poenae quoque, quae delinquen-  
tibus irrogantur, variae sunt, instituti nostri ratio, vt de ea re,  
quae hoc pertinent, non copiose, strictim tamen exponamus,  
postulat. Primum autem affine delictum esto furtum, quod  
vulgo qualificatum dicimus, *ein gestifser gefährlicher Diebstahl*.  
Fundus huius furti qualificati est Constitutionis Criminalis Ca-  
rolinae Art. CLIX. et in utramque partem toto quasi corpore  
vacillant Icti, qui in eam legem commentati sunt, ceteri-  
que, qui Iura Criminalia tractarunt. Ioannes Paul Kressius,<sup>b)</sup>

Georgius

b) Commentat. succinet in C. C. C. ad Artic. 159.

¶

Georgius Beyerus,<sup>c)</sup> Benedictus Carpzouius,<sup>d)</sup> Ioannes Henricus de Berger,<sup>e)</sup> Christianus Iacobus Heil,<sup>f)</sup> Ioannes Samuel Fridericus Boehmerus,<sup>g)</sup> alii, quando, quibus cancellis circumscribenda sit ista furti species, ex iis scire volumus. Ego, qui hoc in libello vnicē de rapina differere constitui, in alienam veluti messem falcem inmitterem meam, si, quae apud alios de hac furti specie latius diffusa sunt, quam vt breuiter possint cognosci, hoc loco colligere vellem et digerere. In eo itaque subsisto, vt, quae in Saxonia Electorali vsu fori inuaderunt, breuiter edisseram. Vix autem opus est dici, quod liquet vltro, cum omne in genere furtum sit ablatio rei alienae, aut contrectatio, furtum qualificatum sine rerum amotione non posse committi. Peccant igitur et grauissime quidem peccant, qui furandi animo alienas aedes inuadunt, quo minus autem quid intercipiatur et ex loco moueatur, impediuntur, sed furtum non committunt, omnium minime furtum qualificatum. Sed haec tralatitia sunt. Vsum autem fori Saxonici quod attinet, bene monet Ill. Carolus Godofredus Winkler<sup>h)</sup>, eam hodie singula Saxoniae Electoralis collegia esse in gressam opinionem, vt illud demum furtum qualificatum esse contendant, quod vi armata perpetratum, et cum effractione,

B 2

eaque

c) Delineat. Iuris Criminalis ad Art. Const. Criminal. Carol. 157 seqq.

d) Praet. Rer. Criminal. Part. II. Quæst. LXXIX.

e) Elect. Iurispr. Criminal. Cap. II. Membr. I. et Part. II. Suppl. ad E. C. Obs. XXVIII.

f) Index et Desenfor etc. Cap. VI. §. 44.

g) Element. Iur. Criminal. Sect. II. Cap. XII.

h) ad Bergeri Oecon. Iur. Libr. III. Tit. IX. thes. V. not. II.



eaque violenta et seditiosa est coniunctum, adeo, ut sola effractione non sufficiat, sed armorum quoque gestio cum consilio, iis utendi, sit necessaria. Sed haec Saxoniorum ICtorum opinio fines Saxoniae non egreditur; et bene monet laudatus Winklerus<sup>i)</sup>, extra eam solam vel ascensionem, vel effractionem ad furtum qualificatum sufficere. His addo, ICtos Vitebergenses in eo non adquiescere; ex eorum enim sententia praeterea ad furtum qualificatum requiritur, ut perpetratum sit coactis, sive coadunatis hominibus.<sup>j)</sup> Sed ab hac Vitebergensem sententia secedunt Lipsienses ICti; refert enim, quem semel iterumque excitaui, Illustr. Winklerus,<sup>k)</sup> ex ICtorum Lipsiensium sententia hodie et unum furem solum, qui armis instructus furatur, furtum qualificatum committere, atque addit; quemadmodum saepissime cum a Scabinis, tum a Facultate Iuridica Lipsiensi iudicatum memini. Ceterum qualificatum furtum, sive primum sit, sive secundum aut tertium, paruum aut magnum, in Saxonia Electorali semper capitale est delictum atque laquo punitur.<sup>m)</sup> His autem praemissis, haud adeo difficile est, quae et qualis furtum qualificatum inter atque rapinam intercedat differentia? dijudicare. Summa, fateor, inter utrumque hoc delictum deprehenditur conuenientia, in utroque vis adhibetur, nonnunquam atrocior, in utroque delinquentes ar-

mati

<sup>i)</sup> loc. cit.

<sup>k)</sup> Ioan. Henr. de Berger Ele<sup>t</sup>. Crim. Cap. II. Membr. 1. §. 1. et Oeon. Iur. Libr. III. Tit. IX. thef. V. not. 11. Georg. Beyerl. c. ad Art. 157. loc. aet. posit. 32.

<sup>j)</sup> loc. cit.

<sup>m)</sup> Const. Criminal. Carol. 159. Const. 32. Part. IV. adde Mandatum d. 14. Dec. 1753. Cod. Aug. contin. Part. I. pag. 797.

mati incedunt, in utroque violenta rei alienae' mobilis ablatio deprehenditur, et furtum qualificatum haud raro degenerat in rapinam. Sed furtum tamen qualificatum tanquam furtum consideratum, semper clandestina est ablacio. Adscendunt fures aedes alienas, horrea, stabula, effringunt fores, cistas, et arcas bene munitas, armis instructi sunt mortiferis, eoque consilio ista gerunt arma, vt, simul ac opus est, iis utantur, non ad sui tantum defensionem, sed ad ipsum furtum eo certius perpetrandum. Pone, eiusmodi furtum vere esse commissum, neque fures vlo modo in perpetrando delicto impenititos esse, et habebis furtum i. e. contrestitutionem clandestinam, et fraudulosam, sed qualificatum i. e. seditiosum, vi armata perpetratum et cum adscensione et effractione coniunctum. Sed finge: fures dum inuadunt aedes alienas, dum effringunt fores et cistas, incidunt in hospitem harum aedium, aut vnum et alterum e famulitio, confestim aggrediuntur omnes, in quos incident, laqueis eorum constringunt manus, pedes, guttura, armisque mortiferis cincti, mala et repentina morte minantur omnibus, qui turbas excitabunt, quo facto, arcas effringere, et diripere pergunt, et habes exemplum, non furti qualificati, sed rapinae, nec erit, opinor, qui, quae sit conuenientia, quae differentia inter vrumque hoc delictum, perspicere nesciat. Non desunt, fateor, qui rapinam furtumque qualificatum praeterea in eo quoque ab se inuicem differre putant, vt hoc in aedibus, istud autem delictum non, nisi in via fieri contendant.<sup>2)</sup>

B 3

Sed

<sup>2)</sup> conf. Caroli Ferdinandi Hommeli, Vir. Illustr. Rhapsod. Observat. 101.  
Ioan. Paul. Kress, ad Art. Const. Criminal. Carol. 126, §. 4. not. 3.



Sed firmum hoc satisque fundatum, vereor, ut sit discriminem; etenim perpetratur quidem rapina frequentissime, et perpetrari potest in viis publicis, et tunc dicitur: *ein Straßen-Raub*, sed, quominus in aedibus quoque fieri possit, nihil, quantum ego quidem intelligo, obstat. Certior multo veriorque haec est differentia; furtum qualificatum, saltem ex sententia I<sup>c</sup>torum Vitebergenium, nonnisi coactis hominibus perpetratur, rapiam vero vnuis etiam fur, isque solus committere potest. Quid enim si vnuis fur tugurium inuadat, furandi animo, et in eo vnicam offendat aniculam, eique, probris omnibus, maledictis verberibusque diu multumque vexatae, quicquid habet, vi eripiat aperta et palam, nonne eiusmodi fur raptor est improbus? Est vriue et tanquam raptor punitur.

#### §. VI.

Ab his raptoribus parum differunt, vel nihil, grassatores, robatores, viarum obfessores, *Wege-Lagerer*. Grassari, vnde, grassatores dicti sunt, vi vocis nihil aliud est, quam cum impetu quodam incedere, saepius tamen etiam accipitur pro vias obfidere. Hinc grassatores ii dicuntur, qui viatores reiterata vice in viis publicis ex insidiis adoriuntur, idque non tam homicidii, sed vti ait Callistratus<sup>o)</sup>, praedae causa faciunt, proximi proinde latronibus. Robatores dicuntur a *roba*, *robare*, *robaria*, quae voces omnes ex infima sunt latinitate atque temporibus mediis aeui inualuerunt. Est autem *roba* idem, ac vestis, tunica,

<sup>o)</sup> l. 28. §. 10. D. de Poen.

tunica, <sup>p)</sup> vnde vocabula Franco - Gallica, *Robe*, *Garde-robe* et translata deinceps illius est significatio ad omnem suppellectilem. Robare autem idem olim significabat, ac Franco-Gallicum *dérober*, id est, furari, praedari, *rauben*, et descendit fortassis Germanicum hoc vocabulum *rauben* ab isto medii aeui *robare*. Qui autem fuerit factum, vt maiores nostri id, quod veteres Romani, per vocabula furari, praedari, exprimebant, *robare* dixerint, eius rei ratio, ni fallor, haud est obscura. Et enim si vestes excipias, tunicas, suppellecitem, quae omnia olim sub vocabulo *roba* comprehendebantur, vix aliae supererunt diuitiae, quibus temporibus medii aeui abundabant maiores nostri, quaeue iis ab aliis eripi poterant. Hac itaque ex causa factum fortassis est, vt vocabulo robare ea sensim, quam diximus, significatio fuerit imposita. His autem praemissis, facile est ad intelligendam, quid apud medii aeui scriptores vocabula *Robator* vel *Roberator*, quid *Robaria*, *Robbaria*, *Roberia*, *Roberia* significant? Etenim prouti duo priora raptorem, ita reliqua omnia crimen, quod committit raptor, id est, *rapinam* denotant, quam proinde robariam *Ioannes Cowillius* <sup>q)</sup> haud male bonorum atticuus esse ait ab *ipsius persona*, *vel ipso praesente et inuitio sublationem*. Restat, vt de viarum obfessoribus, quos in lingua patria *Wigelagerer* nuncupamus, adhuc dicamus. Pauca vero sunt, quae hac ex parte subiungi merentur. Scilicet obfessio viarum, die *Wegelagerung*, der *Halt*, vt recte monet

*Benedictus*

<sup>p)</sup> Du Fresne Glossar, hac voce. Henr. Spelmanni Glossar. Archaeol. hac voce.

<sup>q)</sup> Institut. Iuris Anglicani Libr. IV. Tit. 18. §. 25.

❧ • ♕ • ❧

*Benedictus Carpzouius*'), est, quando, praedones, diffidatores et alii extra oppida, vicos, vel pagos in syluis aut agris iuxta itinera publica se occultant, eo animo, ut viatores spoliant, vel occidunt, vel interceptos abducant, aut aliud quippiam in eos committant, coadunatis hominibus et animo hostili atque doloso, quod in poenam fractae pacis publicae incidit. A quo delicto longe differt obsessio itinerum, *das Vorwarten*, quae neutquam est species criminis fractae pacis publicae, quando nempe rixantes in viis vel angiportis oppidorum, vel pagorum aduersarios practereuntes expectant, eosque ex infidiis adorti, vulnerant, vel verberant, quod ut plurimum de nocte fieri consuevit, ubi compotatores, rixa inter ipsos exorta, domum se conferunt. Ex his autem Carpzouii verbis satis appareat, obsessiones viarum semper quidem delictis esse annumerandas, ast non vna atque eadem ratione delinquere eos, qui vias obsident. In duas autem abeunt classes omnes viarum obsessiones, quarum vna eas sub se comprehendit, quae ab Carpzouio et in lingua nostra patria sub vocabulo *der Halt* comprehenduntur, altera dicitur *das Vorwarten*. Haec posterior huius loci non est, et in regula ad delicta capitalia non pertinet, sed poenis tantum extraordinariis et corporis afflitiis coercetur'). Priorem autem quod attinet, *den Halt*, praedones, Carpzouio teste'), vias publicas eo potissimum obsident animo, ut viatores vel spoliant, vel occidunt, vel interceptos abducant. Atque ex his viarum obsessoribus vnicce ii, qui viatores tantum spoliant,

raptore

r) Praef. Rer. Criminal. Part. I. Quæst. XX. No. 39.

s) Conf. 13. Part. IV. Confit. Saxon. Electoral. t) loc. cit.

raptore sunt, reliqui crimen longe atrocis committunt. Ceterum ex his, quae hucusque differuimus, quae et quanta inter grassatores, robatores, eos viarum obsecsores, qui huius loci sunt, et raptore sit differentia, facile potest cognosci. Scilicet rapina in genere ita dicta violenta est rei alienae mobilis vel in aedibus, vel in via publica facta ablatio. Ergo grassatio, viarumque obsecso, quam inter atque grassationem nullum, opinor, intercedit discrimen, quia semper in via publica fiunt, species sunt rapinae, in genere sic dictae, nec incongrue in lingua patria *ein Strafenschaub* dicuntur. Crimen robariae sine omni dubio est rapina; vtrum vero non, nisi in viis publicis perpetrari possit, vti vult Christian. Iacobus Heil<sup>u)</sup>) aut etiam in aedibus, de ea re nihil definio, quamuis, si vim vocis, supra a me explicatam, perpendam, nihil plane, id quod ingenue fateor, deprehendam, vnde colligere possim, robariam non, nisi in viis publicis posse committi. Immo potius vix mihi temperare possum, quo minus existimem, robariam inter atque rapinam, in genere sic dictam, nullam prorsus intercedere differentiam.

### §. VII.

Pergimus ad latrocinium, in quod crimen atrocissimum saepissime degenerat rapina, non tamen semper, nec necessario; quamobrem vtrumque hoc delictum probe a se inuicem discernendum est. Latro autem, vnde descendunt latrocinior,

et

u) loc. cit. Cap. VI. §. XXXVI.



et latrocinium, aliaque vocabula plura, non vnam semper eandemque retinet significationem, et nonnunquam, olim certe, in bonam, ut plurimum vero in malam accipitur partem. Nimirum latrones olim ii dicebantur milites, qui nunc satellites, vel corporis custodes, *Trabanten*, dicuntur.<sup>a)</sup> Sed praedones quoque, publica itinera infestantes, latrones dicuntur, idque ideo, quod vel a latere adoriantur, vel latenter insidientur. Hoc autem in sensu si accipias vocabulum latro, haud disert illius significatio ab significatione vocabulorum raptor, grastator, robbator. Tandem latro etiam dicitur ille, qui lucri faciendi gratia alterum occidit, latrocinium autem rapina, cum homicidio coniuncta; atque hic significatus huius loci est. Hos latrones maiores nostri proprie *Moerder*, latrocinium vero *eine Mordthat*, *Mord*, *Mordrum*, *Murdrum*, *Mordtaudum*,<sup>b)</sup> dicebant atque probe distinguebant, ab homicidio et homicida simplici, dem *Todtschlage*, *Todtschlaeger*; quare etiam illud a nonnullis homicidium dicitur qualificatum. Longe atrocius autem delictum committit latro, qui deliberato animo et ex proposito aliquem occidit, quam qui ex impetu quodam animi improviso ad occidendum prorumpit, ut homicida simplex. His addo, latrocinium ex dupliciti delicto esse compositum, rapina scilicet et homicidio; quorum vtrumque cum in regula capitale sit, ratio in promptu est, cur latrocinium atrocissimum anumeretur delictis, poenisque grauissimis coerceatur. Iure autem

a) apud Plautum in *Milite gloriof.* Act. I. Scen. I. v. 75. 76.

b) Christian. Gottl. Haltaus Glossar. Germanic. Med. aeui sub voce *Mord*.

autem tam Imperii<sup>a)</sup>, quam Saxonico<sup>b)</sup>, poena ordinaria latro-  
num est contusio per rotam.

§. VIII.

Supersunt nonnulla alia delicta, rapinae quodammodo  
saltem affinia. Huc in primis pertinent Diffidationes, qui-  
bus maiores nostri temporibus medii aevi magnopere delecta-  
bantur. Sed certis tamen legibus adstricta olim erant haec  
bella priuata, quarum prima erat, rite ut indicerentur, quod  
ut plurimum siebat per litteras, die Fehde-Brieze, altera, ne  
quid fieret contra foedera, quae tum Treugae dicebantur, ter-  
tia, ne violaretur Treuga, quam vocabant, Dei, id est, ne certis die-  
bus, quibus inducias sanxerant concilia, vis vlli hominum infer-  
retur, denique ut parceretur certis hominibus, quos sanctos et  
inuiolabiles his in bellis priuatis esse iussarent leges, v. g. mer-  
catoribus, agricolis, religionis causa peregrinantibus, clericis et  
q. s. r. His legibus susque deque habitis, diffidatores, tan-  
quam raptore, poenas dabant; ceteroquin impune tunc tem-  
poris bella ista priuata gerebantur<sup>c)</sup>. Sed Pax publica et pro-  
fana, Maximiliano I. Imper. condita, qua, ut lites et controuer-  
siae non amplius manu, sed iure terminarentur, lancitum est,  
his diffidationibus finem sensim sensimque imposuit. Turba et  
damnum, in turba datum, huc quoque, sed quodammodo tan-

C 2

tum

<sup>a)</sup> Art. CXXXVII. Conit. Criminal. Carol.

<sup>b)</sup> Iur. Provinc. Saxon. Lib. II. Art. 13. Conf. Elec. Saxon. 5 et 35. Part. IV.

<sup>c)</sup> conf. Ioann. Getel Heinocci Elem. Iur. Germanic. Libr. II. Tit. XX.

§. LXXIII.



tum pertinet. Est autem turba ex Labconis apud Vlpianum sententia <sup>c)</sup> multitudinis hominum turbatio et coetus. Multitudinis, inquam, hominum. Ergo si duo rixam commiserint, utique non accipiemos, in turba id factum, quia duo turba non proprie dicuntur; enim uero si plures fuerint, ait Vlpianus <sup>d)</sup>, decem aut quindecim homines, turba dicitur. Turba autem atque tumultus delictum quidem est atrox, quo societas ciuilis et securitas publica grauissime laeditur, quare etiam eiusmodi tumultus qui excitarunt, huius suae stultitiae poenas iure meritoque pendunt grauissimas<sup>e)</sup>; sed raptiores non sunt, nisi fortassis qui faciunt tumultum simul res alienas mobiles; vi aperta et propalam dolos malo atque lucri faciendi gratia contrectent. Supersunt piraticam qui exercent, quos improbos esse raptiores, quin latrones, nemo, sat scio, negabit; sed piratica non est delictum, quod foras nostra eosque, qui in Saxonia ius dicunt, fatigat, atque operam sine dubio oleumque perderem, si eius rei causas longa oratione enarrare veilem, vt perdidit olim ille, qui, cur condemnatio in tricemes in Saxonia infrequens sit, dissertatione singulari exposuit. Plura non addo delicta. Quamuis enim nonnulla supersint, quae, tanquam rapinae affinia, huc referri possent, tamen non, nisi secundi, tertisque generis ista est affinitas, quae ista inter delicta omnia intercedit atque rapinam; nolumus autem scribere, vt Varro apud Ciceronem ait, quod neque

c) I. 4. §. 3. D. de Vi bonor. raptor.

d) loc. cit.

e) Ex Mandato d. 2. Iul. 1726. Cod. Ang. contin. Part. I. pag. 531.

neque indosti intelligere possent, neque docui legere cū-  
tarent.

§. IX.

Ceterum ex his, quae hucusque diximus, satis, opinor,  
superque apparet, quid sit rapina, et qua ratione differat ea ab  
aliis delictis, in primis ab furto qualificato et latronicio. Pro-  
ximum est, vt, quasnam poenas hodie ab raptoribus repe-  
tant Iura nostra tam Imperii, quam potissimum Saxonica Electo-  
ralia, exponamus. Ac primo quidem Iura Imperii quod atti-  
net, Constitutio Criminis Carolina et publicum et capitale esse  
voluit crimen rapinae, dum: *Ein jeder boshaftiger Veberwundener Räuber soll, nach Vermög Vnserer Vorfahren und Vnser gemeiner Kayserlichen Rechten, mit dem Schwert oder wie an jeden Ort in diesen Fällen mit guter Gewohnheit herkommen ist, doch am Leben gestrafft werden, seuera lege constituit*<sup>c)</sup>. Eandem seueritatem animad-  
uersonis Saxones semper in raptiores adhibuerunt. *Die einen Mann berauben, inquit speculator Saxo*<sup>d)</sup>, *denen soll man das Haupt abschlagen; atque hanc poenam gladii sapientissimus Saxonum legislator, Elector Augustus, expressis verbis plus sim- plici vice comprobauit*<sup>e)</sup>. Iura vero Saxonica Electoralia ho-  
dierna quod attinet, per Mandata, supra iam iam a me in-  
dicata, annis 1710. 1711. 1717. et 1719. euulgata, multa  
omnino tum quoad persecutionem raptorum eorumque coerci-

C 3

tionem,

c) Art. CXXVI.

d) Iur. Prou. Sax. Libr. II. Art XIII.

e) Conficit. 13. et 35. Part. IV. Conf. Elec. Saxon.



tionem, tum quoad modum procedendi, tum quoad ingenuam furum confessionem exasperata, immutata, accuratiusque circumscripta sunt et definita; quorum omnium vberiorem expositionem qui desiderat, ille adeat beat. Ioann. Godofr. Kauſium, qui in singulari de iis ante dictis Mandatis conscripta Dissertatione, Vitebergae anno 1726. habita, quae in his Mandatis sparsim sunt praeſcripta, collegit, et in ordinem redigit iustum, atque omnia, quae hac ex parte ſcire interefft, ſumma cum cura exhibuit. His ſuccellu temporis, praeſertim annis 1733. 1734. 1738. 1748. 1753. ſuperaddita ſunt Mandata alia, quorum itidem ſupra iam facta eft mentio, quibusque, quae in prioribus fancita ſunt ſapientiſſime, innouata potiſſimum ſunt et repetita. Ex his autem recentiſſimis legibus Saxoniciſ apparet, rapinam et cetera rapinae affinia delicta adhuc hodie non tantum capitalia eſſe, ſed praeterea delinquentibus quoque non eadem ſemper poenas capitales, imo potius nonnunquam leuiores, nonnunquam grauiores irrogandas eſſe. Ceterum, quoniam his dictis legibus partim de furibus, partim quoque de raptoribus, latronibusque sermo eſt, poenaeque non eadem omnibus infligendae, ſuccellu temporis inter Dicasteria Saxoniae Electoralis haud leuis ea de re exortus eſt diſſensus, quem tandem Sereniffimus Legiſlator anno 1762 per Reſcriptum, ad Collegia ICtorum datum <sup>1)</sup>, fuſtulit. Digna ſunt huius Reſcripti verba, quae hoc loco apponantur ipſa. Ita autem ſe habent: *Nachdem in denen in punto rapinae,*

cym

<sup>1)</sup> Cod. Aug. contin. Part. I. pag. 403.

cum furtis qualificato coniunctae, oder furti qualificati, cum rapina coniuncti, zeithero gesprochenen Vrtheln ein Dissenſus wahrzunehmen ge-  
 wesen, immassen von der Iuristen-Facultaet zu Wittenberg bey der-  
 gleichen Verbrechen auf die Straße des Rades, von der Iuristen-Facul-  
 taet zu Leipzig hingegen allemal nur auf die Straße des Schwerdts  
 nebst Flechtung des Koerpers auf ein Rad nach vollbrachter Execution,  
 erkannt worden, Wir aber hierunter die Beobachtung einer Gleichheit  
 im Sprechen vor noethig, und daß bey Einbrüchen und Räuber-  
 reyen, welche von Banden oder Rotten, mit Ausübung vieler  
 Gewalt an den Beraubten, durch Peinigen, Schlagen,  
 Verwunden und dergleichen begangen worden, auf die Straße  
 des Rades, wo aber keine sonderliche Gewalt ausgeübt wor-  
 den, auf die Straße des Stranges, und wenn ein Raub von  
 keiner Bande oder Rotte unternommen worden, auf die Straße  
 des Schwerdts nebst Flechtung des Koerpers auf ein Rad er-  
 kannt werde, denen, der Diebe und Raeuber halber, in das Land  
 erlassenen, Mandaten gemäß befinden; Als begehrten Wir, ihr wollet  
 vors Künftige in dergleichen vorkommenden Faellen euch hiernach im  
 Sprechen gehorzanft achten. Furtum itaque qualificatum in Sa-  
 xonia Electorali hodie laqueo, rapina, coadunatis hominibus  
 et vi adhibita atrociori perpetrata, rotæ contusione, rapina  
 denique, ab uno saltem vel duobus raptoribus commissa, gla-  
 dio, ita tamen, vt raptoris cadauer post executionem rotæ  
 imponatur, puniatur. Neque cessat haec ordinaria rapinae poena  
 licet raptor inermis homines spoliauerit, aut semel tantum hoc  
 crimen commiserit, aut rem vilissimi pretii alteri eripuerit, et  
 ipsam rem raptam eiusue pretium restituerit; Haec enim  
 omnia



omnia raptoribus ad mitigandam poenam non pro-  
sunt.

§. X.

His autem poenis capitalibus non raptore tantum ipsi, id est, ii, qui res alienas mobiles violenter, dolo malo et animo lucri faciendi contrectarunt, sed etiam ii plectuntur omnes, qui raptoribus vel hac vel illa ratione, scienter tamen, auxilium tulerunt. Ita enim legibus nostris sanctum est.<sup>g)</sup> Weil denn durch dergleichen Einbrüche und Räubereyen nicht nur der öffentliche Land- und Haus-Frieden gebrochen wird, sondern auch viele ihres Vermögens beraubet, und einige, um selbiges anzugeben, bis auf den Tod gepeinigt, geschlagen und verwundet, auch wohl gar wirklich getötet worden — so sollen diejenigen, welche bey dergleichen That und Rott, angetroffen, oder auch einige Zeit erst hernach durch Steckbriefe, oder sonst, ausgesuchet und erlanget worden, ohne Unterscheid, ob sie solche selbst verübet, oder nur auf der Wache gestanden, ingleichen, ob sie etwas von dem Raube genossen, oder nicht, an dem Leben, nach Beschaffenheit derer vorfallenden Unstände, durch den Strang oder das Rad gestrafft, auch, diese Strafe keinesweges gemildert werden, wenn schon die gestohlen Sachen bey dem Verbrecher annoch angetroffen worden, oder dem Bestohlnen sonst deshalb Ersatz, oder auch Remission geschiehet. Et paucis interiectis: Die Diebs-Wirthe und Hehler, welche Diebe und Räuber wissentlich beherbergen, oder die gestohlen Sachen auf und zu sich nehmen, und mit verparthieren helfen, oder gar

zu

g) In Mandato a. 1714. et in primis a. 1753. §. III.

14  
752

*zu Ausübung Räuberey und Diebstahls Vorschub thun, und Anschläge geben, sind, wenn sie gleich von dem Diebstahle selbst nichts genossen, sowohl, als diejenigen, so den Dieben Brecheisen, Stangen, Nachschlüssel, Dietriche und andre Diebs-Instrumente wissenschaftlich und vorsetzlich ververtigen, auf gleiche Art, wie die Diebe und Räuber selbst, anzusehen und zu bestraffen.* Praeterea his quoque Saxonicas legibus quoad ipsum adeo modum procedendi aduersus raptiores insignis mutatio, primo quidem in dem Räuber-Mandat d. a. 1719. facta, sed deinde in dem erneuerten und geschärfften Mandate wegen Auffsuchung und Bestrafung des Diebs- und Räuber-Gefindels d. a. 1753. repetita est. En ipfa huius legis nouissimae, quae hoc pertinent, verba: <sup>b)</sup> Wöbey es denn auf derer Verbrecher eigen Bekennniß, und daß solches praeceps extorquiret werden müsse, eben nicht ankommen, sondern genug seyn soll, daß sie bey dergleichen Gelegenheit ertappet, oder dabey gewesen zu seyn, gnüglich überführt sind, immaßen überhaupt bey der Untersuchung alle Weitläufigkeit zu vermeiden, vielmehr sofort, ohne vorgängigen sonst gewöhnlichen Inquisitions-Proceß, bloß auf summarisches Verhör (wobey jedoch die etwan mit anzuführenden Einwendungen und Entschuldigungen auf das umständliche und treulichste mit zu registriren sind) und Versendung der hier-

über

<sup>b)</sup> §. III. Mandati d. a. 1753.

D



über gehaltenen *Aetten* nach rechtlichem Erkenntniß, sonder Zulassung einer *Defension*, auf erwähnte Straffen, dieser Disposition gemäß, — das *Condemnations-Vrthel* von *Vnsern Rechts-Collegiis im Lande*, als welche hiernit darauf zu sprechen nochmals angewiesen werden, — zu sprechen, auch an denen *Delingquenten* die zuerkannte Straffe — ohne den geringsten Anstand behörig zu vollstrecken, und ihnen aufs höchste mehr nicht, als etwa zwey bis drey Tage zur Vorbereitung zum Tode zu lassen ist. Duplex autem his verbis quoad modum procedendi continetur dispositio, omni attentione digna. Etenim partim, vt summarium raptorum examen, paria paribus dummodo respondeant, ad ferendam sententiam capitalem sufficiat, partim, ne raptoribus deductio innocentiae specialis, sive defensio, permittatur, cauetur. Enim vero quae in his Mandatis d. a. 1719 et 1753. de summario raptorum examine sunt sancita, ea sine omni dubio, prout in prouerbio dicimus, cum grano salis sunt accipienda. Opponitur, fateor, examen reorum summarium, die summarische Vernehmung, exameini inquisitorum articulato, der articuliren Vernehmung, atque responsio reorum ad articulos inquisitionales pertinet ad Inquisitionem, quam dicimus, specialem; ast Inquisitio specialis etiam sine examine ad articulos fieri potest, articuli enim vnicce ad formam pertinent, non ad essentiam Inquisitionis specialis.

Mens

Mens itaque Serenissimorum Legislatorum Saxonorum sine  
 dubio ea est, ut aduersus raptore, positis omnibus ambagibus,  
 quam celerrime, non autem, ut absque Inquisitione prouida at-  
 que solemi procedatur. Itaque veritas et certitudo corporis  
 delicti solicite est inuestiganda, conquirenda indicia et suspi-  
 ciones, testes examinandi, ii, eaeque omnes, qui perpetrati  
 criminis rapinae arguantur, conquirendi et in carceres conii-  
 ciendi, examinandi, et cum testibus, qui eos accusant, nec  
 non inter se, si ab se inuicem discrepent, componendi et q. f. r.  
 his autem rite peractis, absque viteriore reorum ad articulos  
 inquisitionales examine Acta ad Collegia ICTORUM transmitten-  
 da sunt. Ceterum negandum non est, quoniam delinquentes,  
 qui in examinibus veritatem profiteri nolunt, quando alternis  
 vicibus et tempore diuerso super eadem re examinantur, sibimet  
 ipsis contradicunt quam frequentissime, reiteratum eorum ex-  
 amen in inquisitionibus ad eruendam rei veritatem plus semper  
 prodest, quam nocet. Et ex hac fortassis ratione raro, vel nun-  
 quam, hodie fieri solet, ut in Inquisitionibus aduersus raptore  
 examen reorum ad articulos inquisitionales omittatur, atque,  
 Actis ad Collegia ICTORUM transmissis, ab his statim sententia  
 definitiva, in primis capitalis, feratur. Defensionem autem  
 quod attinet, quae raptoribus in dictis legibus Saxoniciis pror-



sus denegatur, non desunt, qui hanc Iuris nostri Saxonici dispositionem de solemni tantum, cum concessione certi spati, defensione intelligendam esse existimant<sup>i)</sup>. Sed non indigemus amplius hac limitatione; etenim in Generali nouissimo<sup>k)</sup> expressis verbis: *Ehe nach vollendetem Special-Inquisition die Akten nach rechtlichem Erkenntniß versendet werden, ist dem Inquisiten, er mag solches verlangen, oder nicht, eine Defension, ohne vorgängige Anfrage zu gestatten, zu dem Ende ihm entweder ein von ihm selbst in Vorschlag zu bringender - oder ex officio zu bestellender Defensor, welchem die Akte vorzulegen, zuzugeben, diesem, daß er sich mit Inquisiten, so oft nöthig, in Beyfeyn des Abduarii, welcher darüber Registratur zu fertigen hat, besprechen möge, zu gestatten, auch eine hinlängliche Frist zu Einreichung der Schutzschrift einzuräumen, u.s.w. sanctum est. Atque his forsitan verbis rigor iste de legibus prioribus derogatus est.*

#### §. XL

Hac itaque ratione ex principiis Iuris Saxonici Electoralis animaduertimus hodie in raptore. Sed quo durior haec Iuris  
Saxonici

<sup>i)</sup> vid. Illustr. Carol. Ferdinand. Hommelli Rhapsod. obser. Cl.

<sup>k)</sup> Wegen des Verfahrens in Untersuchungsfachen. d. 27. Okt. 1770. §. 10.  
Cod. Aug. contin. Part. I. p. 419 sqq.

Saxonici poena est, eo magis omnino vndique conquirendae sunt causae omnes, quae ad minuendam hanc mitigandamque poenam capitalem faciunt, aut facere possunt. Harum autem causarum plures ab ICTis, qui de criminibus scriperunt, allegantur quidem, quarum tamen omnium catalogum hoc loco te-

4  
752

xere eo minus necessarium esse videtur, quo magis constat, magna eorum partem in praxi fere omni destitui effectu. Enumeramus proinde hoc loco harum causarum tantum potiores. Huc autem pertinet, si vis proprie dicta prorsus deficiat, atque v. g. cui quis, adhibitis tantum persuasionibus, vel etiam minis, certam pecuniae summam, aliasue res elicuerit, quae rapina non est, sed, si minas saltem sunt adhibitae, concusso.

Huc porro referunt nonnulli, si quis alterum ad ineundam permutationem coegerit, secundum Paroemiam Iuris Germanici *Taufsch ist kein Raub,*<sup>1)</sup> nisi permutatio dicis tantum causa intercesserit; vanus enim permutationis praetextus ab ordinaria rapinae poena non liberat. Si praeterea rapina attentata tantum, neutquam vero consummata est. Item si quis in fame publica annonam aliaque comedibilia rapuerit. His tandem, vt

alia

<sup>1)</sup> Ioann. Nicol. Hertius de Paroemii Iur. Germ. Libr. I. Paroem. 97. oper. Vol. II. Tom. III. pag. 367. Ioann. Friedr. Eisenhardi Grundsaezze der Deutschen Rechte in Sprachwörtern, Part. V. cap. 12. Bened. Carpzon. Pract. Rer. Criminal. Part. II. Quaest. 91. n. 9.



alia omnia taceam, addo, si quis rem suam, aut quam suam esse existimauit, alteri per vim abstulerit. Ne vero homines improbi iuris ignorantiam obtendant sceleri suo, Iure Romano cautum est,<sup>m)</sup> vt, si dominus id fecerit, dominium rei suaem amittat, si non dominus, non solum rem, sed et aestimationem eius restituere compellatur. Quae Iuris Romani dispositio, utrum in foris nostris usum habeat, nec ne<sup>n)</sup> de ea re inter ICtos adhuc hodie controuersia est. Ioannes Henricus de Berger usum hodiernum harum legum data veluti opera assertuit,<sup>n)</sup> non tamen sine omni restrictione, atque, Dicasteria Vitebergensia hunc tantum ducem, vti in plerisque aliis materiis controuersis, ita quoque ex parte sequuntur.

*m)* l. 13. D. Quod. met. cauf. 1. 7. c. Vnde vi. §. 1. I. d. V. bonor. raptor.

*n)* In Elec. Differt. Foren. Tit. V. Obs. VI. not. 4. supplementi Part. I. No. XIII. Oec. Iur. Libr. III. Tit. IX. thes. VIII. not. 2.





(f) 56.





Farbkarte #13

B.I.G.

24  
9  
P. 495  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
VERA RAPINAE INDOLE  
EIVSQUE  
EX PRINCIPIIS IVRIS SAXONICI  
ELECTORAL COERCITIONE

PRAESIDE  
MARTINO GOTTLIEB  
PAVLID

DIGEST. VET. P. P. O. CVR. PROVINC. CONSISTOR  
ECCLESIAST. SCABIN. ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE  
EIVSDEMQUE H. T. DECANO

PRO SVMmis IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQUENDIS

DIE XVI. MENS. OCTOBR. A. O. R. CCCCCCLXXVII

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB AVCTORE

IOANNE CHRISTIANO FRIDERICO REINHARDO

IVR. CAND. ET ADVOC. IMMATR.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT ACAD. A TYPIS

